

**Disputatio medica inauguralis de hydrophobia ... / pro gradu doctoratus ...
submittit Johannes Petrus Finger.**

Contributors

Finger, Johann Peter.
Rijksuniversiteit te Utrecht.

Publication/Creation

Trajecti ad Rhenum : Ex officina Guilielmi vande Water, 1711.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xar54rvf>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

HYDROPHOBIA;

QUAM
SUMMO FAVENTE NUMINE,

Autoritate Magnifici Rectoris,

PETRI BURMANNI, J. U. D.

Politices, Historiarum & Eloquentiae Profes-
soris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissimae
Facultatis MEDICAE decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Publico Examini submittit

JOHANNES PETRUS FINGER, Cell-Luneburgicus.

Ad diem 16. NOVEMB. hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina GUILLIELMI vande WATER, Aca-
demix Typographi. clō lō ccxi.



Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

HYDROPHOBIA;

PROOEMIUM.



Hydrophobiam, quæ ab aquæ metu Græcam sortita est appellationem, eo quod hoc malo laborantes siti quidem Tantalea vexentur, sed ab causas imposterum dicendas, aquam & omnia potulenta valde metuant, & Latine aliàs Rabies Canina dicitur, usitato vocabulo, vel propterea mihi præ aliis specimine solenni fusius pertractandam sumsi, quod malum hoc præ reliquis singulare quodque intuentium oculos miris modis terrere solet, à paucis hodiè elaboratum noverim; dari autem circa illud ipsum phænomena, in quibus explicandis vires ingenii, licet imbecilles experiri, nec inutile, nec aliis, spero, ingratum futurum esse. Animo autem constitui in hoc quidem instituto Excell. Domini ALBINI ductum sequi. Hujus enim Illustris Medici memoria sancta mihi semper erit, eo, quod fidelissima ejus Informatione, qua per illud temporis spatium, quo in Alma Lugduno-Batava degi, degi autem per annum cum dimidio & quod excurret, non sine maximo emolumento frui mihi licuit. Totam autem Tractationem in tria dividam Capita, quorum primum Historiam Morbi, secundum Causas & tertium Curam tradet. Initium ergo, DEO cæptis feliciter annuente, capiam in

HISTORIA MORBI.

I.

Et satis quidem jam constat ac testantur id abunde Historiarum & observationum monumenta, malum id de quo agimus, à morfu rabidi cujusdam animalis ordinariè semper proficisci: Ac cum nulum hucusque animal frequentius Rabie simili corripì solear, quam Canes, hinc adeò non mirum, quod communiter Hydrophobia à morfu Canis rabidi oriri dicatur, atque idcirco Latino sermone Rabies Canina speciatim vocetur.

I I.

Licet, si verum fateri velimus, & accuratius in rei veritatem inquiramus, Hydrophobia præterea etiam nonnunquam, neque id raro à morfu animalium aliorum v. gr. Ursi, lupi, felis &c. originem suam duxerit. Hæc enim & similia animalia bruta & rabida fieri & morfu tristes ejusmodi effectus edere posse, BORELLUS in observatt. suis Physico-Medicis exemplis omninò fide dignis adstruxit; ut taceam, ab homine subindè irato, adeoque furioso quasi & rabido alios commorsos homines rabidos etiam fieri, etsi hoc non adeò frequenter alibi annotatum legimus.

I I I.

Neque vero semper morfu opus esse Canis vel alius animalis rabidi, vel exindè patet, quod ab odore solùm rabidi canis rabiosi facti sint non pauci, uti à C. AURELIANO accepimus. Sic & CARDANUS memoriæ prodidit, ab osculo Canum rabidorum, homines nonnullos rabie consimili affectos fuisse. HILDANUS mirabilem satis recitat historiam de quodam, cujus vestimenta saltem à Cane demorsa & discerpta erant rabido, ille verò postea fila vestium discerpta dentibus tractans fit Hydrophobus. TIMÆUS verò observavit inter alia, Rusticum unà cum sua uxore à lacte, quod Vacca à Cane rabido demorsa dederat, comesto, rabie Canina affectos fuisse.

I V.

Sicut autem hæc rarioribus meritò annumerantur, ita ut plurimum ordinarius morbi decursus ita habere solet: Quamprimum quis à Cane vel alio animali rabido commorsus est, tum ante omnia sentit dolorem in parte commorsa æger, qui dolor interdum superiora versus tendit & acerbissimis cruciatibus affligit miserum; proindè las-

fitu-

fitudine summa corripitur solent, somnis turbulentis torquentur, anhelosa ducunt suspiria, & ultra modum præter causam aliquam manifestam cum timore & tristitia conflictantur, qui similiter affecti sunt, eaque omnia in principio contingunt; ubi verò adoleverit paulo malum, tum febrim corripuntur ægroti, in qua totum corpus, præsertim verò facies & oculi rubore insigni gaudent; sequitur inflammatio gutturis cum æstu insigni, anxietas circa præcordia maxima & respiratio difficillima: imprimis verò accedit vox rauca, & hinc lingua aspera, quam rabidi canis instar educunt, adeò, ut non nisi vocem, Canum ejulatu similem edere queant ægri: pulsus fit concitator, urina redditur turbida, & quandoque in statu magis deplorato, nigra; hinc ægri paulatim fiunt morosiores, & tandem planè feroces ac rabidi usque eo, ut ipsi Canum exemplo alios allatrare, ipsisque morsus infligere gestiant. Accedit postea sitis vehementissima, qua cum tamen, quod mireris, conjunctus est aquæ, & omnium liquidorum metus, utpote ad quorum mentionem saltem expavescunt, ægroti. Præterea infestant eosdem vigiliæ perpetuæ, visiones & imaginationes terribiles, nec non vomitus viscosi & biliosi, itemque tremores & totius corporis concussiones vehementes, membri virilis tensiones & ejaculationes seminis involuntariæ. Ad extremum accedit singultus, sitis augetur cum aquæ & liquidorum metu, os spumat, sudor adest frigidus, & delirium hisce connexum est maximè furiosum & terribile, licet aliis interdum mens constet. Tandem etiam nisi hisce malis tempestitiva adhibeatur medela, nervorum distensione & syncope moriuntur ægri.

V.

Facile autem patet, non uno omnes ordine, nec eodem temporis spatio quoslibet, nec singulos singulis symptomatibus corripitur solere. Hisce quippe magna intercedit diversitas pro ratione subjecti, temperamentorum, anni tempestitatis, morbi vehementis vel mitis, ac aliarum denique, quas recensere nimis longum foret, circumstantiarum. Imprimis vero notatu maximè dignum videtur, quod symptomata dicta in aliis statim à morfu se prodant; in aliis vix ante 30. diem se exerant; in aliis demum post aliquot annos citius vel tardius conspiciantur, uti observationum fide constat.

V I.

Ex hisce cum satis abundè constet, quænam sit facies & qualis congeries symptomatum in illis, qui Hydrophobia laborant, jam

porrò non abs re futurum spero, si prioribus ea addidero, quæ faciunt ad Canem Rabidum ab aliis non rabidis & vulgaribus distinguendum: Solent nimirum Canes rabidi facti motus tremulos & plane inordinatos præ se ferre; oculos habent flammeos & torvos, & solitò tristiores intuentur homines, aures caudamque habent demissam, nec non ipsum caput; os gerunt spumans & apertum, cum lingua exerta, profluit illis mucus è naribus teter, corpore graciles sunt, & si illos propius intueamur superficies corporis pustulis est plena. Præterea omnem omninò potum averfantur, sine latratu invadunt quosvis sibi obviam factos, propriam umbram fugiunt, & reliqui omnes canes consortium hujus rabidi averfantur.

V I I.

Quod PROGNOSIN attinet Hydrophobiæ, illa quidem in initio & modo tempestivè advocetur Medicus, sat bona & fausta est; sed si tardius accedat & malum eundo vires acquirat, ægerque jam incipiat insanire, & aquam metuere, tunc res in ambiguo est, & æger vel planè non recipit pristinam sanitatem, vel facilè recidivam incurrit, quemadmodum ab aliis annotatum legimus, nonnullos annuo post morsum inflictum spatio, alios biennio, alios longius iterum symptomatibus suis pristinis infestatos, & hinc illo temporis spatio exacto iisdem rursus correptos fuisse; Alios etiam, licet non adeò gravioribus symptomatibus correptos, semper tamen & per omnem vitam ideam Canis vel alius animalis rabidi, à quo demorsus erant, retinuisse, & miro desiderio hæc vel illas ejusmodi animalis actiones imitandi detentos læpè numero fuisse, accepimus.

C A U S Æ.

V I I I.

Nimirum ut causas hujus horrendi mali & mirabilium ejusmodi symptomatum, quæ hucusque enarravimus, jam porrò, quousque licebit, investigemus; illud initio certum est & à nemine sanæ mentis in dubium vocatur, quod cum à morfu, adeoque & communicatione salivæ canis, vel cujusvis demum animalis rabidi ortum ducat, ad Venenorum classem meritò talis saliva ejusque communicatio referatur: Proinde res ipsa postulare videtur, ut prius, quam ad reliqua progrediamur, Venenorum naturam nonnihil delibemus.

I X.

Quicquid nimirum Venenorum nomine in Scholis Medicorum &

Physicorum communiter venire solet, illud ad tres refertur Classes, ratione nimirum triplicis Naturæ Regni, ex quo omne illud, quod vel alimenti, vel medicamenti, vel Veneni nomine ac virtute gaudet, proficiscitur; adeò ut Venenum aliud sit Minerale, aliud Vegetabile; aliud Animale.

X.

Equidem sunt nonnulli, qui Venenorum existentiam planè inficiantur, & omnia à DEO T. O. M. in prima creatione valde bona creata esse perhibentes, nihil Veneni nomen mereri putant, nisi corpus naturale, quod in se bonum & perfectissimum, & si rectè in usum vocetur, saluberrimum & optimum sit; si verò quis illo abutatur, & vel nimium, quam par est, vel injusta ratione illud adhibeat, tunc noxium quidem & perniciosum utenti evadat, sed non tam sui, quam adhibentis culpa. Cujus quidem sententiæ Patroni illud maximè pro defensione sui allegare solent, quod ex vehementissimis & præsentissimis venenis, quæ vulgò putantur, sub debita præparatione optima & efficacissima prognoscantur remedia, uti de arsenico, ꝑrio ☉ to &c. constat; è quorum postremo, ut alia taceamus, ꝑ dulcis & cinnabaris cum in finem parantur, ut, quod erat antea nimis virosum, nunc salubre & morbis debellandis efficax evadat. Solent & illud imprimis urgere, quod nullum fere Venenum reperiat, adeò perniciosum, ut omni animantium generi ex æquo insidietur, quin quod huic animanti noxium, alteri potius salutare sit, sicuti de Nuce Vomica, Canum Veneno, hominum verò alexipharmaco (nam famosum illud Electuarium Bezoardicum & Anti-loimicum de Ovo ingreditur) res in vulgus nota est. Vid. VATERI Physiolog. Experimental. Append. de Venenis. HEUCHER Diff. de Aranea homini perniciofa & salutari.

X I.

Sed quicquid ejus rei sit, mihi quidem jam huic sententiæ examinandæ neque tempus neque vires sufficientes suppetunt, & videtur sanè res in mera λογωμαχία consistere, cum res ipsa loquatur, dari certa corpora præ reliquis maximè activa, & in minima dosi maximos & tristes effectus edentia, quæ meo quidem judicio, Venenorum appellatione omni jure gaudent.

X I I.

Horum Venenorum modus operandi multum ab invicem differt. Nam quæ Venena vocantur Mineralia v. gr. Arsenicum, ꝑ ☉ tus

DISPUTATIO MEDICA

corrosivus, auripigmentum &c. illa omnia particulis suis nimium aculeatis & causticis parietes ventriculi & intestinorum nec non fibrillas valorum & tunicarum inibi existentium corrodere, dilacerare & corrumpere consuevere, & partibus, quas primo tactu feriunt, ethalem inducere gangrænam, ac totalem sanguinis in dictis vasculis stasim, sicuti id Vomitus & anxietas maxima præcordiorum, quæ horum assumptionem mox subsequi solent, tum verò & autopsia in cadaveribus hisce venenis extinctis evidentissime demonstrant, qualia Exempla in Ephemeridibus Naturæ Curiosorum passim legas licet.

X I I I.

Quæ verò ex Vegetabilium Classe Venenis accensentur, illa ferè omnia sunt stupefactiva & Narcotica, v. gr. Hyoscyamus Opium, papaver & quæ sunt similia. Videlicet hisce si quis ultra modum & extra singularem consuetudinem nimium utatur, tum hilaritate primum ostendit se illorum efficacia, mox inebriatione & furioso quasi gaudio, demum hoc discusso, stupore & somno lethali, nisi in tempore debitis auxiliis huic veneno eatur obviam. Alias optima & præstantissima, & quibus genuinus Medicus carere nequit, ex his ipsis Vegetabilibus parantur præsidia, eo tamen cautius usurpanda, quo facilius error ab illis capitalis committi potest, qui minus provide eadem aliis propinant. Et usus quidem commodaque Opiatorum & similium Narcoticorum certatim ferè & singulari industria descripserunt, modumque agendi & adhibendi docuerunt Excell. WEDELIUS in Opiolog. BERGER Dissert. de vi opii rarefac. THOMSON de Opio in Dissert. select. F. HOFFMANN. Dissert. de opii Correct. & usu & Dissert. de Mechanica opiatorum operandi ratione. Noxas autem & tristes effectus ab hisce Vegetabilibus, ac speciatim Cicuta Aquatica, quæ Socrati quondam exitialis fuit, oriundos, nemo doctius & majori cum studio persecutus est, quam quidem fecit Doctissimus WEPFERUS in Historia Cicut. Aquat. cui operi egregio simul ea immiscet Vir præstantissimus, quæ ad declarandam reliquorum Venenorum naturam quam maximè faciunt, ac iteratam sectionem Cadaverum, horum Venenorum vi extinctorum pro fundamento habent. Confer & ea, quæ quoad abusum Opii & Narcoticorum Medicum monuit optimus quondam meus Præceptor Excell. Georg. Ernest. STAHLIUS docta Dissert. de Impostura Opii.

X I V.

Venena denique Animalia^ū Morsu communiter vel Ictu aut Punctura, aut alia etiam ratione inflicta, illa ferè omnia motus præter naturam auctos & peregrinas effervescentias, aliasque motuum species in sanguine & reliquis humoribus concitare solent. Videlicet, uti ab indefessis Naturæ scrutatoribus imprimisque à Cl. REDI est annotatum pleraque animalia, quæ venenata dicuntur, nullum in se habent venenum, præterquam illud quod ex ore ipsorum circa alveolos dentium, eo cumprimis tempore, quo irascuntur vehementius laudata bruta, effluere solet. Ac constat de Viperis, aliisque serpentibus, quæ alias pro animantibus maximè venenatis habebantur, illas quidem, dempto hoc fonte venenoso, ut ita dicam, innoxie in usum trahi, earumque non modo pinguedinem in affectibus oculi salutariter adhiberi, sed & carnem & Ælem volatilis inde paratum, alexipharmacis, & quæ aliorum Venenorum energiam efficacissimè resistant, non immerito annumerari. Interea comprehensu erit haud ita difficile, quomodo saliva ejusmodi bruti in iram & furorem coniecti corpori humano communicata tam horrendos & singulares effectus edere queat. Est nempè saliva omnis effervescentiæ capacissima nullo non tempore, maxime cum motus quidam impellens vehementior ab extra accedit; latent quippe in saliva particulæ salinæ omnis generis ex tota Massa sanguinea eo tempore, quo irascitur animal, in illam protrusæ; quod videmus consimili ratione in hominibus iratis vel furore correptis (est nempè ira furor brevis) quorum neque facies, neque reliquæ actiones habent aliquid simile constitutioni eorum naturali, sed potius monstruosi aliquid præ se ferunt, quorumque imprimis saliva multum illicò à statu suo naturali desciscit. Adeoque non mirum, si saliva ejusmodi multis particulis heterogeneis & salinis imprægnata, alterique corpori communicata, motus in eodem varios p. n. & vehementes edat.

X V.

Quod igitur ad præsens nostrum thema, morsum nempè Canis rabidi spectat, is quidem in eo cum reliquis Venenatis animalibus convenit, quod morsu communiter; adeoque & salivæ communicatione, tragædiam suam ludat; præterea etiam, quod ab animali non quidem irato, sed tamen furioso & rabido oriatur; sed cujusnam speciatim sit illud Venenum indolis, de reliquis utut sit, hoc præsertim loco non æque accuratè explicari posse, fatebuntur mecum

X V I.

Quamvis enim, uti ex suprâ dictis constat, non desunt omninò signa, quibus Canis Rabidus ab alio communi discernitur; deficit tamen vera & accurata Historia causarum, quæ canem efficiunt rabidum. Sunt equidem, qui Canes tempore maxime Brumali, & in diebus Canicularibus, ibi, cum summum frigus, hîc cum maximus æstus regnant, rabiosos fieri contendunt; sed hoc, cum non inficiemur posse fieri, neque ejus causam plane ignoremus; tum verò id causæ tantum Remotioris & procatarcticæ vicem sustinere, quilibet videt. Neque quod alias vulgò dici solet de esu carniûm putridarum & defectu liquidorum, quibus canes fiant rabidi, rem omnem conficit; Cum aliorum fide constet, etiam sine hisce Canes rabidos factos esse. Adeoque, si quod res est, dicendum, ignoratur adhuc vera indoles veneni, quod Morsu à Cane rabido homini communicatur, idque ob defectum observationum, quæ, qua ratione, & undè Canes fiant rabidi, nos edocere valerent.

X V I I.

Quo minus verò de Natura & Indole Veneni Canis Rabidi observationum defectu hucusque certi esse possumus, & an ad acidorum, an verò alcalinorum Classem pertineat, quorum tamen postremum vero videtur esse similis, edisserere; non tamen idcirco nihil de ætiologia ipsius morbi seu symptomatum, quæ in ægrotis hisce observantur, allaturi sumus. Hæc enim ipsis se ingerunt oculis, adeoque sagaci conjectura consequi licet, cur hæc & non alia subsequantur in Corporibus à Cane rabido demorsis.

X V I I I.

Primum ergo & ante omnia, affectum hunc inflammatione quadam universali consistere, ex collatione circumstantiarum patet: Adest enim æstus insignis faciei, & rubedo oculorum quasi fulgens; vox est rauca, lingua aspera, quæ omnia de inflammatione harum partium satis superque testantur. Quid quod autopsia in Cadaveribus non semel œsophagum, aliasque partes inflammatas & gangrænosas monstraverit. Et hinc rubedo & æstus universalis in toto corpore, maxime in gutture conspicitur, quoniam, uti in omni inflammatione sanguis stagnat in arteriis minimis, quæ ultrà modum extenduntur, atque dilatantur, eousque, ut sanguis regressum per Venas ordinariûm non inveniat. Observarunt id Curiosî Parisienses in subjecto quodam, cujus arteriæ omnes sanguine liqui-

diffimo plenæ erant, in venis verò admodum paucum sanguinis. Inde adeò accidit, ut suspiriis anhelosis torqueantur miseri, & de angustia præcordiorum maxima conquerantur; quoniam nempe vasa pulmonum sanguine ultra modum plena, distenduntur valdè, hæc autem vesiculas pulmonum, quas instar retis ambiunt, ita coercent quasi & constringunt, ut earum liberæ explicationi nullus relinquatur locus, adeoque in perpetuis angustis versentur miseri.

X I X.

Et hæc quidem omnia satis puto esse manifesta, & extra omnem dubitationis aleam posita. Majoris momenti res est, & quæ strenuis Naturæ scrutatoribus multam semper fixit crucem, paradoxon illud, sitis nempe clamosa juncta cum aquæ & omnium liquidorum metu, cujus contrarium nempe aliàs toto die videmus, cum nemo tam stolidus sit, ut siti, quâ vexatur, liquida opponenda esse, nesciat. Hujus igitur stupendi phænomeni causas satis abstrusas quo eò feliciter indagare liceat, lubet prius bina adducere phænomena, aliàs ubivis obvia & neminem fugientia: (1) si laqueo vehementer tenso, vel chordæ cuidam in instrumento Musico exsiccata nimis & tensæ aër humidus accedat, tunc omninò diffiliunt & rumpuntur: (2) Quando Carnifices equuleo subjiciunt flagitiosum quendam, ejusque brachio expanso guttatim aspergunt aquam frigidam tunc non modo dolor intollerabilis sequitur, sed & periculum ruptionis non vanum præsens est; quia nimium aqua vel humidum illud insinuat sese interstitiis fibrarum, quæ ob nimiam tensionem cedere nesciæ in corpore inanimato solum rupturam, in animato verò simul dolorem immanem causantur. Hisce præmissis rem ita concipimus: Siti quidem clamosa vexantur Hydrophobi, quoniam adest defectus liquidi, quod ob humores stagnantes & fibras nimium crispatas non potest debita ratione secerni. Aversatio autem potulentorum oritur ab eadem nimia crispatura & siccitate fibrarum in œsophago & partibus vicinis: quæ nulla prorsus saliva irrigantur, adeoque ob sanguinem & reliquos humores ibi stagnantes non aliter ac funis aliquis vel chorda nimis tensa periculum ruptionis & dolorem sævissimum incurrunt, si vel tantillum illis liquidi affundatur. Et hujus quidem rei occulto quasi quodam Naturæ sensu admonentur miseri, ut vel ad mentionem aquæ vel liquidi expavescant. Nec dispar est ratio illius phænomeni, quo lucem communiter miris modis aver-

fari solent, quoniam nempe sanguis in vasis capillaribus oculorum stagnat & dolorem in illis concitat, qui vehementer augetur, si lux insuper tunicas oculorum ultra modum tensas feriat.

X X.

Delirium quidem omni inflammationi, quæ majorem paulò vehementiæ gradum consecuta est, jungi, res est notissima, sed huic inflammationi, universalis quæ est, adeoque vehementissima, delirium quod jungitur à reliquis deliriorum generibus multum discrepat. Enim verò absurda aliàs loquuntur, infaniunt, clamant, furiant circa objecta qualibet, quæ ipsis fiunt obvia, communiter delirantes. Sed hoc delirium illud habet singulare. quod circa Canes, eorumque actiones ut plurimum versetur, quas nempe vel imitari, vel ipsos Canes metuere, & cane pejus ac angue fugere, vel alia ratione citra objectum quoddam præsens, errare solent miseri. Hujus rei causa latet in abscondito; si tamen quid dicendum, videtur illud provenire ex eo, quoniam vestigium Canis cerebro impressum inibi radices fixiores præ reliquis idæis egit, ac cum terroris idea & gravissimis animi pathematibus communicatum recens semper menti obversatur, illamque semper ad considerationem sui rapit, usque adeò, ut, quod mireris, etiam illi qui debitis auxiliis revera restituti pristinæ videntur sanitati, fixam tamen retineant cerebro ejusmodi impressionem semper, ut levi data occasione, vel etiam sine illa circa Canem, ejusque actiones delirare iterum incipiant, & vel morsum eorum metuant, vel ipsi alios mordere gestiant. Et hæc est suprà jam tacta Recidiva.

X X I.

Quæ supersunt symptomata, illorum causæ non adeò difficulter reddi possunt. Sic namque fauces exsiccantur & cerebrum ac spinalis medulla planè arida reperta fuerunt in cadaveribus, quoniam sanguis omnis retinetur in arteriis, adeoque nec in Venas, nec in reliqua organa secretoria, ad quæ lege circuitus aliàs deferri debet, quorumque cerebrum primum occupat locum, justa ratione propellitur; hinc adeò partes omnes destituuntur lymphâ rorida, quæ secundum naturam illas rigare debebat. Et quia sanguis dicta ratione in arteriis stagnans & coacervatus sensim sensimque fit acrior, non possunt non hinc indè in genere nervoso, cum arteriis ubivis fere communicante stimuli majores semper ac majores fieri, unde, & quoniam sanguis præsertim in vasis capillaribus cerebri stagnat,

& circa ideam canis fixus hæret, adeoque & propter turgescientiam vasorum nullus liber est influxus succi nervei per nervos ad partes, convulsiones initio quidem particulares, demum etiam universales oriuntur, quæ lethalem non rarò Catastrophæ Scenæ huic morbosæ imponunt.

X X I I.

Ad ultimum non prætereundum duxi hic illud Phænomenon, quo sanguis V. Sine è Corporibus Hydrophoborum eductus, planè non concrefcere, neque in aëre frigido solidus vel fibrosus fieri more in omnibus inflammationibus solenni, sed floridus & fluidus manere solet. Hujus quidem rei ratio in aucto sanguinis motu intestino consistere videtur; nam & initio nonnihil illum concrefcere videmus, antequam motum intestinum auctum acceperit, postea verò, ubi hic supremum quasi gradum consecutus est, tunc plerumque colorem & consistentiam naturalem fluidam retinere solet Purpura Microcosmica. Pari ratione □æ color saturatus & niger interdum, non aliunde, quam ex eodem fonte, sanguinis nempe motu intestino nimium aucto, derivandus est. Nam uti □ omnem suam consistentiam sanguini, ex quo profluit debet, ita vitiorum in sanguine latentium signa aliis omnibus contra præbere solet, de quo qui amplius dubitat, is cogitet saltem, quod □, quæ colorem Citrinum naturalem præ se fert, mox aucto per digestionem motu attritorio, colore nigro, vel saturatiori, quam ante conspiciatur.

C U R A.

X X I I I.

Quod curam denique terribilis hujus mali attinet, ea antequam sumatur ad manus certum esse debet, & extra omne dubium, utrum quis Hydrophobia laborans à Cane rabido demorsus sit, & an Canis ille verè rabiosus fuerit? Quod si nec Medicus, nec alii Canem rabidum viderint, tum ORIBASIIUS & PAULUS præcipiunt, ut vulneri nuces juglandes accuratè attritæ imponantur, vel mica panis ∇â subacta, illaque postea objiciantur gallinis; quod si enim istis vescantur gallinæ, Canes non fuisse rabidos, existimant. Sed num hoc criterium sit certum & infallibile, aliis dijudicandum relinquitur. Quod si verò certò constet, esse quendam à Cane reverà rabioso morsum, tum mox in principio & si vel maximè nulla adhuc

Te prodant symptomata, ante omnia eo allaborandum est, ut Venenum è vulnere extirpetur, in quo Cardio rei versatur. Fit autem illud, si pars vulnerata profundè circum circa scarificetur & largiter materia virulenta è vulnere educatur ac profluere sinatur, quod si nolit sufficienter profluere, Cucurbita imponatur vulnere cum multa flamma, quo ipso major accedit pressio, quæ humores è vulnere eo potentius elicit; tum eluatur vulnus vino calido diligenter vel muria vel aceto, & in eo quidem diu continuandum & sæpè id repetendum est, imo si necessitas postulaverit, vel Cauterio actuali pars adurenda est. SENNERTUS non malè suadet, partem vulneratam esse ligandam (si nempe sit exterior & ligaturæ compos) ut reditus sanguinis & cum eo permisti veneni ad Cor eò magis retardetur, vel prororsus inhibeatur. Ubi tamen notandum, quod moderatè liganda sit pars, alias enim si modus excedatur, pars ligata facilè vitam amittere posset. Possunt etiam Cataplasmata ex acris e. gr. allio, Cepis & aceto bono cum fructu applicari. Tum verò, quod probè notandum, vulnus non debet consolidari, sed diutissimè apertum teneri, ut collecta in eodem virulenta materia sensim educi queat. CELSUS memoriæ prodidit, esse quosdam, qui Hydrophobos protinus in balneum abire jubeant, & tandiu desidere, dum vires sinant, vulnere aperto, vel saltem pedem in balneo fovere. Quod quidem remedium qua ratione juvet, vel ex famoso illo auxilio iudices licet, quo ut à rabido Cane demorsi protinus in aquam, piscinam, vel Mare ex improvise conjiciantur, & subito demergantur & emergentes iterum deprimantur idem CELSUS præcipit. Sine dubio, si quid de raro hoc & singulari auxilio dicendum est, terrore ejusmodi improvise vasis redditur elasticitas, ut ita exprimant impactum & hærens multis in locis liquidum, quo facto res omnis in vado erit. Parum ab hoc auxilio, & levi saltem circumstantia differt illud, quod in Ephemerid. N. Curiosorum in Germania recensetur, Hydrophobum nempe arbori cuidam alligatum & plus quam ducentis scitulis aquæ superfusum indeque curatum fuisse; sed quod caput rei est, hæc affusio aquæ subito & mox in initio fieri debet, alias omnia sunt frustranea.

X X I V.

Et hæc quidem auxilia Veneno & Vulnere maximè debentur; ipse autem affectus, quem inflammationem quandam universalem esse, antea asseruimus, nihil tam auxiliè postulat pro sui medela, quam V. sectio-

sectionem, & hoc quidem cum aliis inflammationibus commune habet. Secunda ergo in principio Vena est ad animi usque deliquium, quia inflammatio universalis, ingentem quoque requirit depletionem. In statu vero Arteriotomia instituatur, quoniam tum sanguis omnis in arteriis continetur. Et sanatos esse quosdam sola largiorum V. Sne. Ephemerid. Paris. testantur. Sed observandum quod simul copiosa liquida cum acidis danda sint, & deinde Rob Sambuci, vel aliud Bezoardicum lene & temperatum. Nitrum etiam copiosum per os ingeratur & per Clysteres injiciatur. Denique singularia illa sic dicta specifica, quæ Excell. D. STHALIUS, Fautor & Præceptor meus ad rogam usque colendus, non reticenda putavi, quando ille Vulneri à Cane rabido inflictio, mox pilos ab isto vel alio Cane rabido desumptos, imponendos esse suadet. Vel hepar talis rabidi canis benè exsiccatum per cuspides cultrorum, aut limaturam Orichalci levem ad ʒj intrò sumendam commendat maximopere.

X X V.

Ad ultimum DIÆTA hinc ægris suadenda est tenuissima, ex cibo & potu vilissimis constans, & quibus minimum energiæ inest ad commovendos vel exacerbandos motus p. n. in sanguine: Abstineant ergò ab omnibus calidis, Vino, ☽, aromatibus, nimio motu Corporis & animi, è contrario mediocritatem tum in hisce tum in reliquis rebus n. n. observent, illamque maximè sibi commendatam habeant, quoniam alias quoad Cibum & potum non facilè excedere solent. Reliquum DEO committendum.

In magnis voluisse sat est.

A N N E X A.

I.

Potus Theæ, Caffè, ususque Tabaci paucis prodest, multis nocet & contrâ.

II.

Qui purgat Prægnantem, & Phthisicis, Herniosisque exhibet Vomitorium, peccat contra Quintum.

III.

Qui promiscuè nimis pretiosa præscribit transgreditur Septimum.

IV.

Curatio Magico-Sympathetica nititur sua ratione, nimirum Imaginatione.

V.

Nimis anxia & scrupulosa Prophetia urinae, Salus quidem Crumena sed Famæ Pestis; præstat tamen ex urina judicare Interrogando, quam decidendo; ad lectum, quam dormi; nota quam ignota.

VI.

Viros quoque menstruis laborare; minimè absurdum.

VII.

Ex quibus Vivimus & nutrimur, ex iisdem etiam egrotamus & morimur.

F I N I S.

